

mento textus in cap. Si celebrat, de Clerico excomm. ministr., ibi: *Quia ad susceptionem eorum eligitur, a quorum perceptione a sanctis Patribus est privatus.* Sic enim in præsententi dicere possumus, si irregularis eligatur (electione nimirum Ecclesiastica), aliquo modo eligi ad usum Ordinum, a quorum perceptione est prohibitus, et ideo talis electio prohibita etiam est; specialiter vero ex vi hujus textus videtur iste irregularis ita ineligibilis fieri, ut electio ejus irrita sit; hoc enim in rigore significat vox illa, *ineligibilis*. Et confirmari etiam potest ex c. 4 de Postulat. Prælat., ubi postulatio personæ, quæ interdictum violaverat, repellitur *ut indigna*. Quod verbum videtur in rigore significare esse nullam, sicut electio indigna nulla est. Et quoad hoc est eadem ratio de postulatione et electione, ut ex eodem textu colligitur, et ex Glossa, Panormitano, et aliis. At vero irregularitas ex se non privat potestate eligendi, quia non privat usu jurisdictionis; et ideo dum in dicto § Is vero, additur, hujusmodi irregularem non esse admittendum ad eligendum, nova pœna adjungitur, quæ non potest esse, nisi suspensio quædam. Et ita est intelligenda Gloss. ibi, quæ dicit, hunc amittere potestatem eligendi activam et passivam. Alia vero Gloss. in dict. c. 4 de Postulat. Prælatorum, verb. *Personam*, expresse ait, hunc esse suspensum, et ideo eligere non posse. Subjungit vero etiam non posse beneficium conferre, nec excommunicare. Quod colligitur ex c. ult. de Excessibus Prælatorum, ubi omnem institutionem, destitutionem, collationem præbendarum, et excommunicationes, seu interdicti sententias a quodam Episcopo post violationem interdicti factas, decernuntur irritæ et inanes. Hanc vero suspensionem dicit Soto esse ab officio et beneficio; et idem supponit Cajetanus, in verb. *Interdicti violatio*. Ego vero non invenio in jure circa hoc suspensionem a beneficio, sed solum ab officio; ex qua non inferitur alia. Atque hinc obiter intelligitur has pœnas privationis passivæ et activæ electionis non esse dependentes ab irregularitate, sed per se impositas; ita ut illas incurrant etiam qui irregulares fieri non possunt, ut de monialibus notavit Navarr., cum Calderino, dict. num. 187. Quæ autem transgressio interdicti sufficiat ad hanc irregularitatem, et alias pœnas dictas incurrendas, disputatur late a Doctoribus; breviter tamen dicendum est, violationem hanc scienter factam, cum

culpa mortali, quacumque ratione committatur celebrando ex officio in loco interdicto, contra formam a jure præscriptam, satis esse ad has pœnas incurrendas. Quia illa est gravis violatio et celebratio simpliciter prohibita in loco interdicto, et in illo textu nihil aliud requiritur; quid vero significemus per illam particulam, *ex officio*, in puncto sequenti declarabitur. Quod vero talis culpa in foro salutem conscientiæ necessaria sit, probatur, quia hæc irregularitas imponitur, ut pœna gravissima, et ideo non incurritur nisi intercedente gravi culpa, quamvis alia irregularitas, quæ non est pœna, soleat contrahi sine culpa, ut in simili dictum est latius tractando de excommunicatione. Est etiam hujus rei optimum signum, quod cum hac irregularitate conjunguntur aliæ pœnæ et censuræ, quas certum est non incurri sine culpa mortali. Aliqui vero extendunt hanc irregularitatem non solum ad eum, qui celebrat, sed etiam ad eum, qui auctor est ut alius celebret, et ad superiorem, qui id facere permittit. Ita sentit Maiolus, l. 3, de Irregular., c. 20, num. 7, et c. 23, num. 9.

17. *Excluditur quorundam sententia.* — Verumtamen non existimo hoc esse verum ex vi illius § Is vero, quia ibi de celebrante loquitur, et non de aliis; et in materia pœnali non est admittenda extensio, ut supra de censuris et excommunicatione diximus, et quoad hoc est eadem ratio de irregularitate. Nec etiam in aliis juribus invenio illam extensionem factam, et ideo illam non admitto. Solum invenio in cap. Episcoporum, de Privil., in 6, mentionem fieri de his, qui celebrant vel faciunt celebrare divina in locis interdictis, et in eos præter alias pœnas a jure statutas, novam pœnam imponi interdicti ab ingressu Ecclesiæ, de quo interdicto quid sit, et quam vim habeat, postea generatim dicemus; illa vero pœna non est propria clericorum, sed laicos etiam comprehendit, si celebrare faciant vel alia ibi prohibita, quatenus ab eis fieri possunt, ut ex ipso textu constat. Irregularitas autem de qua agimus, solum in clericos fertur, si celebrant, non vero si celebrare faciant.

18. *Notandum circa cap. Episcoporum.* — Obiter vero in illo cap. Episcoporum, notanda sunt illa verba: *Præsumperint et donec satisfecerint, etc.*, ut intelligatur quando incurritur, et quantum duret illa specialis pœna juxta vim et proprietatem illorum verborum, quam sæpe in superioribus declaravimus.

Similis huic est alia pœna excommunicationis, quæ fertur in Clementin. 2 de Sentent. excomm., contra dominos temporales, qui cogunt aliquem ad celebranda divina in suis terris interdicto suppositis, quem textum late exposuimus supra, disputat. 17, sect. 4. In Clementina etiam 1 et 3, eodem titulo, habentur speciales pœnæ excommunicationis latæ in religiosos non servantes hoc interdictum locale, vel celebrando in loco interdicto, vel etiam alios admittendo, quæ in superioribus tactæ sunt, et tractando etiam de excommunicatione.

19. *De aliis pœnis in ipsos a jure impositis.* — Præter has autem pœnas, quæ ipso jure feruntur, sunt aliæ, quæ ferendæ sunt juxta modum in jure præscriptum. Nam in c. Auctoritate, de Privileg., in 6, in genere dicitur, hos transgressores per locorum ordinarios esse compescendos. Deinde in c. Postulastis, § Quæsivisti, de Cleric. excomm. ministr., de clericis hoc interdictum violantibus dicitur, esse beneficiis spoliandos. De monachis vero et monialibus, esse in arctiora monasteria ad agendam pœnitentiam detrudendos. Verumtamen, ut ex textu constat, ibi non est sermo de quibuscumque violatoribus hujus interdicti, sed de his, qui adeo pertinaces erant in eo delicto, ut etiam propter eam causam excommunicati (scilicet ab homine) in eadem contumacia cum interdicti contemptu perdurabant. Et ita censeo verum, quod significat ibi Glossa, verb. *Spoliandi*, ante hujusmodi contumaciam, secundum illud jus, non esse dignos tali pœna, licet oppositum videatur insinuare Navarrus, cap. 27, num. 187, et multi alii, qui absque ulla limitatione dicunt violatores interdicti his pœni esse afficiendos, ut patet etiam ex Panormitano ibi, num. 5; et Covarruv. supra, § 2, num. 2.

20. Denique addunt hi auctores cum Glossa in dict. c. Postulastis, verb. *Celebrare*, hujusmodi clericos posse per Episcopum deponi, citatque illa Glossa, c. Latoris, eodem titulo, de Clerico excomm. ministr. Quod recte pensum, loquitur de interdicto personali, non de locali; tamen ex paritate rationis videtur sumi argumentum, quod hic habet majorem efficaciam, quam in aliis, quia omne interdictum, ad personam relatum, respective seu proportionaliter reducitur ad personale; inducit enim censuram et prohibitionem ejusdem rationis. Tamen suppositis quæ diximus, ex alio generali principio videtur illa senten-

tia magis certa. Nam illud delictum post tot censuras et pœnas, et cum tanta contumacia et contemptu est gravissimum, et ideo depositione dignum.

*Eandem irregularitatem incurere violatores interdicti personalis.*

21. *Cap. Is cui, de Sentent. excomm., in 6, expenditur.* — Ex his ulterius inferitur, eandem irregularitatem incurri violando interdictum personale, sive speciale sive generale, probaturque a simili ex dictis de locali, propter rationem paulo antea factam. Efficacius tamen probatur ex cap. Is cui, de Sentent. excomm., in 6, ubi dicitur: *Is cui est Ecclesiæ interdictus ingressus, irregularis efficitur, si contra interdictum hujusmodi divinis in ea se ingerat in suo agens officio sicut prius.* Et additur ratio: *Cum sibi per consequens censeatur in ipsa divinorum celebratio interdicta;* in quo textu primum est advertendum, illud interdictum, de quo in eo agitur, non esse locale, sed personale; nam quando quis interdictus ab ingressu Ecclesiæ, ipsa non manet interdicta, tum quia in ea possunt celebrari et audiri divina ab aliis; tum etiam quia talis persona interdictus respectu omnium Ecclesiarum, et tamen non omnes sunt interdictæ; est ergo illud interdictum personale; recte ergo ex illo colligitur, per hujusmodi violationem interdicti personalis incurri irregularitatem. Nec refert, quod illud non sit interdictum simpliciter, ut sic dicam, sed limitatum ad talem locum, nimirum Ecclesiam; nam potius inde a minori sumitur argumentum. Nam, si ob violatum interdictum personale secundum quid incurritur irregularitas, multo magis incurretur ob violatum interdictum personale simpliciter. Item ob rationem textus, quæ non fundatur in speciali ratione talis interdicti, sed quia per illud est prohibita celebratio divinorum in Ecclesia. Quæ ratio habet locum in omni interdicto personali; imo in aliis directe et immediate, in illo vero quasi implicite seu *per consequens*, ut dicitur in textu.

22. Posset autem aliquis cogitare, textum illum limitandum esse ad interdictum speciale, seu quod fertur in aliquem propter propriam ejus culpam, quia hoc modo interdicti solet aliquis ab Ecclesiæ ingressu. Et ideo pœnam hanc non esse extendendam ad interdictum personale generale, quia illud non videtur cum tanto rigore obligare, si non feratur in



aliquem propter propriam ejus culpam. Sed hoc non ita est, quia in illo textu absolute est sermo de interdicto personæ; neque enim interdictum ab ingressu Ecclesiæ necessario limitatur ad speciale; posset enim aliquis populus generaliter interdicti ab ingressu Ecclesiæ; nam si potest interdicti simpliciter, cur non etiam secundum quid? Et simili argumento convincitur, posse aliquem sine propria culpa interdicti ab ingressu Ecclesiæ et a celebratione in illa, si nimirum clerus hoc modo generaliter interdicatur, et tunc etiam in persona sic generatim interdicta haberet locum decisio dicti cap. Is cui; nam ille simpliciter est interdictus ab ingressu Ecclesiæ. Nec refert, quod ille sit interdictus propter propriam culpam, vel sine illa: tum quia hoc in textu non limitatur; tum etiam quia hoc non variat substantiam censuræ et prohibitionis, licet fortasse aliquid conferat ad gravitatem ejus; tum denique quia in violatione interdicti localis, ut aliquis irregularitatem incurrat violando illud, non est necesse, ut propter propriam culpam fuerit interdictus; ergo neque in interdicto personali necessarium erit, cum a nullo jure hoc declaratum sit. Non me latet, Covarraviam, dicta relect., part. 2, § 4, num. 3, interpretari illud cap. Is cui, de interdicto ingressus Ecclesiæ lato in aliquem ob contumaciam ejus, vel propter crimen, quod sensit etiam Bernardus Diaz. Qui fundantur in verbis textus, quæ exponere necesse est.

23. Adduntur ergo in dicto cap. Is cui, hæc verba: *Talis quoque, si hoc interdicto durante decedat, non debet in Ecclesia vel cœmeterio Ecclesiastico, nisi pœnituerit, sepeliri.* In quibus verbis illud relativum, *talis*, duobus modis intelligi potest: primo, ut referat simpliciter hominem interdictum ab ingressu Ecclesiæ; et ita intelligunt prædicti auctores, et consequenter volunt, illud interdictum habere hunc effectum privandi sepultura Ecclesiastica, quod habet suam difficultatem disputatione sequenti tractandam. Et juxta hunc sensum consequenter dicunt, in illis verbis loqui Pontificem de homine interdicto propter propriam culpam, quia pœnitentia non postulatur, nisi supposita culpa. Tamen non propterea necesse est, ut in toto textu sit sermo de solo interdicto lato in aliquem propter propriam culpam ejus. Unde Bernardus Diaz solum dixit in illis posterioribus verbis esse sermonem de interdicto propter contumaciam. Atque ita ex illis solum colligimus,

interdictum ab ingressu Ecclesiæ non privare sepultura Ecclesiastica, nisi quando latum est propter propriam contumaciam vel culpam. Quia, si tunc etiam cessat talis effectus illo pœnitentiam agente, multo magis non habebit locum in eo, qui non indiget pœnitentia. Unde etiam possent illa verba universaliter intelligi, tamen subintellecta alia conditione, nisi pœnituerit, si pœnitentia indigerit, vel certe nisi pœnituerit, id est, nisi vere pœnitens mortuus fuerit, et hujus rei specialiter signa dederit, ut sequenti disputatione dicemus.

24. Alio vero modo potest intelligi illud relativum, *talis*, ut non referat simpliciter personam interdictam, sed illam, de qua sermo præcesserat, scilicet quæ celebrando in Ecclesia interdictum violaverat. Ex quo sensu non sequitur, hanc pœnam privationis sepulturæ esse intrinsicum effectum illius interdicti ab ingressu Ecclesiæ, sed esse novam pœnam impositam ob interdicti violationem. Et similiter juxta hunc sensum non sequitur, in illo textu esse sermonem tantum de persona interdicta propter propriam culpam, quia pœnitentia, quæ in illis verbis postulatur, non tam est de culpa, propter quam latum est interdictum, quam de culpa commissa in transgressione interdicti; nam sine pœnitentia vel satisfactione pro illa, non est talis persona ab interdicto vel pœna privationis sepulturæ Ecclesiasticæ, quam propter illam incurrit, liberanda. Fitque hæc expositio apparenter ex textu; nam prius statuit pœnam irregularitatis in transgressorem talis interdicti, et immediate post subdit: *Talis quoque, si hoc interdicto durante decedat, etc.* Ubi expendo et particulam *talis*, quæ non solum personam, sed etiam qualitatem ejus refert; ideoque indicare videtur personam affectam eo crimine, et de quo proxime fuerat facta mentio. Et præterea expendo particulam *quoque*, quæ copulativa est, et ita videtur priori pœnæ adjungere posteriorem ob idem delictum. Concludo igitur, illam irregularitatem incurri propter transgressionem personalis delicti, sive sit latum propter propriam culpam, sive non, sive per generale, sive per speciale interdictum; nam quoad personalem prohibitionem hæc duo æquiparantur ex cap. Si sententia, de Sent. excom., in 6. Huc accedunt omnia jura, quæ probant suspensum ab officio fieri irregularem ministrando in divinis; nam omnes hoc intelligunt de suspensione vel propria, vel communijuscumque censuræ.

25. *Incurritur dicta irregularitas quamvis interdicti personales non fuerint ob propriam culpam.* — Hoc ergo supposito, eodem fere modo exponenda est illa irregularitas, quæ alia, quæ incurritur propter violationem interdicti localis. Nam in primis ex parte personarum generalis est, ut patet ex illis verbis, *Is cui, etc.*; propria tamen clericorum, ut constat ex peccato propter quod incurritur, quod est ingerere se divinis *in suo officio agendo sicut prius*, prout ibi dicitur, quod est proprium clericorum, quia laici non habent aliquid divinum et Ecclesiasticum ex officio. Unde etiam colligitur, ipsos clericos non incurrare hanc censuram, nisi ministrando ex officio in aliquo divino ministerio, ad quod sunt consecrati; ideoque neque exercendo quemcumque actum solius jurisdictionis hanc irregularitatem incurunt, tum quia illud non est ingerere se divinis sicut prius; tum etiam quia illud ministerium non est prohibitum ex vi interdicti personalis, ut patet ex dictis. Neque etiam illam incurunt, si solum se ingerant ita ministrando, sicut laicus posset ministrare, ut, v. gr., privatim serviendo sacerdoti facienti sacrum, vel aliquid simile.

26. Circa hoc vero dubitari potest, an incurrat hanc irregularitatem clericus personaliter interdictus publice cantans in choro cum aliis horas canonicas; nam illud potest etiam facere laicus. In contrarium vero est, quia hæc etiam celebratio divinarum officiorum, quæ fit in horis canonicis vel aliis divinis officiis decantandis, est prohibita per interdictum personale, et per se loquendo ex vi institutionis pertinet ad officium clericorum; ergo qui hoc modo concurrat ad divinum officium, se ingerit divinis in suo agens officio sicut prius; ergo id satis est ad incurrendam irregularitatem. Nihilominus dicendum est, nisi id faciat cum aliqua solemnitate vel modo, qui Ecclesiasticum Ordinem requirat, non incurrare irregularitatem. Omnes enim intelligunt illam particulam, *in officio suo*, de officio clericali pertinente ad aliquem Ordinem. Unde est communis doctrina, ad incurrendam irregularitatem tria requiri. Primum, ut is qui ministrat, ordinatus sit. Secundum, ut actus, quem exercet, requirat Ordinem. Tertium, ut talis actus sub interdicto comprehendatur. Pro qua plures refert auctores Covarravias, dicta part. 2, § 2, n. 3, et in similibus explicuimus supra agentes de excommunicatione et de suspensione. Unde multa alia, quæ ibi diximus, hic applicanda sunt,

nam fere eodem modo in præsentis proceditur.

27. Atque hinc intelligitur, religiosos cantantes in choro tempore interdicti non fieri irregulares, nisi sacerdotale officium in choro exerceant, aut in altari officium proprium aliqujus Ordinis. Quo etiam fit, ut monachi, qui nullum Ordinem habent, nunquam incurrant hanc irregularitatem propter quodcumque ministerium ab eis exhibitum in celebratione divinarum officiorum, quod notavit Navarr., cap. 27, num. 187. An vero ministrantes in Ordinibus minoribus hanc irregularitatem incurrant, quamvis Soto loco supra citato absolute neget, communis tamen sententia est in contrarium, quia jus absolute loquitur de officio clericali, et nullibi restringit sermonem ad clericum ordinatum in sacris, ut patet ex cap. Is qui, et cap. Is cui. Et ideo in rigore juris hæc sententia probabilior est; quamvis in praxi secundum communem consuetudinem Ecclesiæ vix locum habeat, ut supra dixi.

28. Rursus interrogari hic potest, an clericus violans hoc modo interdictum personale incurrat alias pœnas suspensionis et privationis vocis activæ et passivæ, quas diximus incurri per transgressionem et violationem interdicti localis; nam in dict. cap. Is cui, illæ non continentur. Nihilominus auctores communiter videntur illas intelligere indifferenter, ut videre licet in Covarruvia, dict. §, num. 4 et 2; Soto, dict. conclus. 5; Navarro, cap. 25, num. 93 et 94; quæ sententia vera videtur propter rationem supra tactam, quod obligatio hujus censuræ eadem est comparata ad personam, quæ per illam ligatur, sive ligetur in ordine ad unum locum, sive ad omnia. Excipio tamen illas pœnas excommunicationis, quæ in Clementin. 2, de Sentent. excomm., feruntur contra quosdam religiosos violantes interdictum, quia illæ solum habent locum in interdicto generali loci, de quo jura illa in specie loquuntur, et ad ejus propriam et specialem rationem respiciunt, nimirum ad vitandum commune scandalum, aut ne illa censura contemnatur aut minus timeatur, et ideo non censeo excommunicationem illam esse extendendam ad interdicta personalia, in quibus ratio illa locum non habet.

29. *Cap. Episcoporum, de Privileg., in 6, exponitur.* — Tandem inquiri potest, an incurrant hanc irregularitatem clerici celebrantes coram aliis personaliter interdictis, esto ipsi interdicti non sint; jam enim supra vidi-



mus, etiam hoc modo graviter peccare posse contra personale interdictum, et ideo pœnam etiam hujus delicti explicare oportet. Dicendum ergo est, hunc non fieri irregularem, quia talis irregularitas non est in jure expressa. Nam dictum cap. Is cui, loquitur de celebrante, cum ipse interdictus sit; non vero de celebrante coram persona interdicta, cum ipse interdictus non sit. Imo, in cap. Is qui, eodem titulo, dicitur non fieri irregularem eum, qui coram excommunicato celebrat, quia non est expressum in jure; ergo a fortiori idem dicendum est de illo, qui celebrat coram interdicto. In cap. autem Episcoporum, de Privileg., in 6, specialiter prohibetur, ne aliquis interdictos ad divina officia admittat, et contra eos qui hoc violant, fertur specialis pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ. Advertit autem Navarrus, cap. 25, num. 94, et cap. 27, num. 157, illam legem et pœnam non esse generalem ad omnes personas, sed tantum ad exemptas a jurisdictione ordinaria; nam hic est communis sensus illius capituli expositorum ibi, et aliorum Doctorum, quos ipse citat; et est textui consentaneus, ut patet ex illis verbis: *Quantumcumque exemptionis seu libertatis Sedis Apostolicæ privilegiis communiti*, et ex intentione et occasione illius legis; nam Episcoporum querelæ non erant de sibi subjectis, quos ipsi poterant coercere, sed de exemptis, in quos non habebant potestatem; et ideo contra illos specialiter illa pœna lata est, quæ non est extendenda, juxta principia juris; neque invenio aliam pœnam ipso jure latam propter hoc delictum.

#### SECTIO V.

Utrum laici peccent mortaliter violando interdictum, et quam pœnam incurrant.

1. *Quorundam sententiæ.* — Quod hæc transgressio sit saltem veniale peccatum in laicis, omnes pro comperto supponunt, ut videbimus. Multi autem negant esse mortale, nam Cajetanus, verb. *Interdicti violatio*, dicit violationem interdicti esse propriam clericorum; imo etiam ait, clericos ipsos non violare interdictum, nisi exercendo aliquem actum Ordinis; sed hoc posterius plane falsum est, alias religiosi non ordinati, et moniales non violarent interdictum publice celebrando, seu canendo divinum officium; quod falsum esse constat ex dictis. Illud vero prius admittit Navarrus, cap. 27, num. 187, saltem quoad interdictum locale, et cum quibusdam limita-

tionibus infra declarandis. Et idem fere tenet Soto, dist. 22, quæst. 3, art. 4, conclus. 6. Unde in sententia horum auctorum laici sine dolo aut violentia, vel cooperatione cum clericis, audiendo sacrum, vel divina officia, non peccant saltem mortaliter.

2. *Prima conclusio.* — Nihilominus dico primo: laici ex suo genere graviter peccant violando personale interdictum, non solum speciale, sed etiam generale. Ita tenent Panormitanus et alii, cap. ult. de Excessibus. Soto supra dicit esse fere certum; idemque admittit Navarrus. Et probatur, quia interdictum personale est censura Ecclesiastica directe imposita ipsi personæ; ergo quod illa persona sit clericus vel laicus, non impedit, quominus illa censura inducat totam obligationem, quam Ecclesia per absolutam prohibitionem imponere potest, juxta materiæ qualitatem seu capacitatem; sed hæc materia gravis est, cum ad communicationem rerum divinarum spectet; ergo prohibitio directe imposita personæ, sicut fit per interdictum personale, in tali materia obligat ex suo genere ad mortale. Et confirmatur a simili de excommunicatione, quæ laicos etiam obligat sub mortali ad non audienda divina, quia includit et directe imponit hanc prohibitionem; ergo idem faciet interdictum personale; nam, licet excommunicatio quoad alia sit gravior censura, tamen quoad hoc non excedit; imo interdictum in hoc superat, quod specialius et formalius est ad hunc effectum institutum. Et potest hoc amplius urgere; nam excommunicatio non solum excommunicatum ipsum, sed etiam alios obligat sub mortali, ne in divinis cum excommunicato communicent, propter materiæ gravitatem; ergo multo magis obligabit hæc censura eum, qui directe illa ligatur, circa eandem materiam sub eadem gravitate.

3. *Posita conclusio in personali interdictum generali quam speciali procedit.* — Et hæc rationes convincunt non solum de interdicto personali speciali, sed etiam de generali. Tum quia utrumque continet prohibitionem directe impositam ipsis personis singularibus, juxta cap. Si sententia, de Sententia excomm., in 6; tum etiam quia prohibitio, quæ imponitur cæteris fidelibus non communicandi in divinis cum excommunicato, satis generalis est, et sine culpa ipsorum fidelium eis imposita; et nihilominus obligat sub mortali, quia est prohibitio justa, et communi bono necessaria, et in gravi ma-

teria; sed hæc omnia efficacius locum habent in interdicto generali personali: ergo. Quare quoad hanc assertionem non invenio probabilitatem in contraria sententia. Solum oportet recte explicare, per quas actiones violetur hoc interdictum a laico; solum enim violatur recipiendo, vel agendo aliquid per interdictum prohibitum, ut supra explicatum est; et juxta qualitatem actionis, vel receptionis erit gravitas culpæ.

4. *Secunda conclusio.* — Dico secundo: laici etiam peccant graviter ex genere suo violando interdictum locale, non solum speciale, sed etiam generale. Ita tenent Innocentius, Hostiensis, et alii, quos refert Sylvester, *Interdictum*, 9, quæst. 7, et quamvis ipse limitet ad casum, quando hoc fit ex contemptu, talem limitationem non censeo admittendam, nisi per contemptum intelligat voluntatem audiendi divina non obstante interdicto ex certa scientia, seu absque ignorantia probabili. Probatur autem primo, quia etiam per interdictum locale directe prohibentur laici, ne in loco interdicto divinis intersint; ergo violando hoc præceptum ex genere suo peccant mortaliter. Consequentia probatur eisdem rationibus, quia materia est gravis, et præceptum Ecclesiasticum est absolutum, et illi proportionatum. Et auctores contrariæ sententiæ vim hujus illationis vidisse et non negasse videntur; etenim ideo in antecedente contrarium fundamentum posuerunt, scilicet, prohibitionem interdicti localis non dirigi ad laicos, sed tantum ad clericos, ut isti locum custodiant. Probatur ergo antecedens ex jure; nam sæpe in illo dicitur aut certe supponitur non licere laicis interesse divinis in loco interdicto; est igitur hoc illis prohibitum, quia cum non sit per se malum, non potest fieri illicitum nisi ex prohibitione. Antecedens patet ex cap. Si sententia, de Sent. excomm., ubi dicitur civitate interdicta licitum esse civibus, qui culpam interdicto non dederunt, extra ipsam interesse divinis; ergo supponitur intra ipsam non esse licitum. Idem etiam colligitur ex cap. Licet, de Privilegiis, in 6, ibi: *Cum conceditur singulari personæ, ut modo permissio tempore interdicto celebrare valeat, vel audire divina*. Si ergo concedi necesse est, signum est, esse prohibitum. Idemque sumitur ex cap. Ut privilegia, de Privilegiis, cum similibus. Et idem probant omnia jura, quæ dicunt laicos non esse admittendos ad audienda divina in loco interdicto, nisi privilegiati existant. Quod

supra tractavimus agendo de Missa; nam jura ibi adducta de omnibus divinis officiis loquuntur. Præterea, si clerici possunt et debent laicos excludere, ergo ipsi tenentur non adesse; alioquin esset veluti bellum justum ex utraque parte, si illi tenerentur alios expellere, hi vero non tenerentur exire.

5. Dices, teneri, si expellantur, non vero alias. Sed contra; nam sequitur, si clerici sint negligentes in expellendo alios, non peccare etiam venialiter audiendo divina, quia non sunt prohibiti; nec eis præcipitur, ut sua voluntate non intersint, sed solum ut ejeti non resistant. Unde etiam fit, ut si absque fraude et dolo latenter ingrediantur, et intersint divinis, nihil peccent, quia nullo jure hoc prohibitum est eis. Respondet Soto, venialiter peccare, propterea quod interpretative faciunt contra clericorum intentionem; sed hoc profecto nulla culpa est, si alioquin non est per se prohibitum ipsis laicis interesse, sed solum ut pareant clericis ejicientibus, quia per hoc non præcipitur eis, ut operentur secundum intentionem clericorum, aut ne caute, et per media non prava, effugiant ejectionem. Quin potius, licet mentiendo se habere bullam, aut privilegium, decipiant sacerdotes, ut illos admittant ad divina, non peccabunt mortaliter, ut Navarrus et alii volunt, quia mendacium illud, nec est contra præceptum eis specialiter impositum, neque est perniciosum ipsis sacerdotibus, cum ipsi nihil peccent, neque aliquo jure, vel re aliqujus momenti priventur; nec etiam est contra res divinas saltem in re gravi juxta ipsorum sententiam; sentiunt enim laicum interesse divinis in loco interdicto non esse materiam gravem. Quod si dicatur, tale mendacium esse contra vigorem interdicti, et contra intentionem Ecclesiæ, quæ maxime intendit gravare populum hac censura, eum expellendo a divinis, quod frustra fieret, si per hujusmodi fraudes possint laici vitare effectum interdicti sine culpa mortali. Respondetur hanc rationem optime probare hoc esse peccatum mortale, eandem tamen sufficienter ostendere, Ecclesiæ intentionem esse obligare laicos, ne divinis se ingerant in loco interdicto; nam, si prohibet sub mortali, ne per mendacia se ingerant, eadem ratione prohibet, ne sua voluntate, vel per quæcumque alia media se ingerant sine privilegio. Patet consequentia, quia non est facta specialis prohibitio se ingerendi per mendacium; ergo, quia hoc ipsum, scilicet ingerere se di-